



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

IX. De iejuniis & eleemosynis faciendis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

VI.

Sexto capitulo hortamur monachos, & omnes qui votum Deo voverunt, vt in omni humilitate & obedientia die noctuque hoc adimplere studeant, permanentes in timore Dei in ecclesiis vbi se voto constringerunt. Non sint vagabundi, neque gyrouagi, qui nomen monachi desiderant, officium autem eius contemnunt : sed secundum exempla apostolorum, per habitum humilitatis, laboribus manuum, & lectione sacra, & continuis orationibus se exercentes: parati, præcinctis lumbis, ardentibusque lucernis, patrem familias expectent, vt veniens eos faciat in æterna requie sine fine permanere.

VII.

Septimo capitulo prohibemus & interdicimus omnibus Christianis iniusta connubia, & incestuosa, cum monialibus, vel cognatis, vel cum aliis illicitis personis. Sanctæ enim recordationis Gregorius papa, cum pluribus episcopis, seu sacerdotibus ceteris, in basilica beati Petri apostoli constituit: Si quis monacham, quam Dei ancillam appellant, in coniugio duxerit, anathema sit. Et respondeant omnes: Amen. Nos quippe eamdem apostolicam auctoritatem sequentes, simili modo iaculum maledictionis talibus imponamus, nisi correptus a tam nefanda præsumptione ad satisfactionem peruenerit.

VIII.

Octavo capitulo obseruamus, vt quando in aliquo conuentu venerimus, tota intentione consideremus quid Psalmista nos admonet, dicens: *Dominus prospicit super filios hominum*: & reliqua. Et iterum: *Dominus dissipat consilia gentium*: & reliqua usque in hereditatem sibi. Ideo prævidendum est, fratres, vt sit concordia & vnanimitas inter episcopos & principes omnemque populum Christianum, vt sit vnitas ubique ecclesiarum Dei, & pax: immo una sit ecclesia, fide, spe & caritate, vnum habens caput, quod est Christus: cuius membra se inuicem adiuuare mutuaque caritate diligere debent, vt ipse ait: *In hoc cognoscant omnes*: & reliqua. *Iohann. 14.*

IX.

Nono capitulo admonemus iejunium cum eleemosynis caute & vigilanter conseruare: istæ enim sunt tres alæ quæ ducunt sanctos ad cælum. Quatenus quadragesimale

Concil. Tom. 25.

H ij

60 CONSTITUTIONES ODONIS

ieiunium, quatuor tempora, & alia legitima ieiunia. Vide-
licet iv. feriam & vi. feriam, cum magna vigilancia obser-
uare studeatis: & super omnia dominicum diem, & san-
ctorum festivitates, sicuti Canon & exempla præceden-
tium affirmant, ab omni sæculari opere cautissime custo-
dire procureatis, nec superstitionibus vanis consensum
præbeatis: neque creaturam pro creatore magicis illusio-
nibus adorabis: quia qui talia agunt regnum Dei non
possidebunt.

X.

Deut. 12. Decimo capitulo mandamus, & fideliter obsecra-
Malach. 3. mus, de decimis dandis, sicut in lege scriptum est: *Deci-
mam partem ex omnibus frugibus tuis, seu primitiis, deferas in do-
mum Domini Dei tui.* Rursum per prophetam: *Afferte, in-
quit, omnem decimam in horreum meum, ut sit cibus in domo mea,
& probate me super hoc. Si non aperuero vobis cataractas cœli,
& effudero benedictionem usque ad abundantiam: & increpabo pro
vobis qui comedit & corrumpt fructum terræ vestræ, & non erit
ultra in ea steriles.* Vnde & cum obtestatione præcipimus ut
omnes studeant de omnibus quæ possident dare decimas,
quia speciale Domini Dei est, & de nouem partibus sibi
vivant, & eleemosynas tribuant. Veritatem autem facien-
tes, in caritate maneamus in illo qui est Deus benedictus
in sæculorum. Amen.

PISTOLA SYNODALIS
ODONIS ARCHIEPISCOPI
CANTVARIENSIS.

Ad episcopos sibi suffraganeos.

MIRABILI cunctipotentis polorum præsulis clemen-
tia opitulante, ego Odo ecclesiæ Salvatoris Domini
nostrí Iesu Christi archiepiscopus, Dorobernenis ciuita-
tis metropolitanus, coepiscopis fidei catholicæ compa-
ginatoribus, spiritali caritate, etiam comitatus rigore,
meis confratribus, præsentium prosperitatem æthereique
decoris beatitudinem. Si aliquo modo fieri posset, ut to-
tius mundi opes ante nostros ponerentur obtutus, ita ut
imperiali munere nobis vniuersaliter deseruirent, libenter